

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Academiae Kiloniensis Prorektor et Senatus orationem  
solemnem Augustissimi Regis Christiani VII natali die 29.  
Januarii 1798 habendam indicunt. De Gestu Veterum  
Scenico Observationes**

**Baden, Torkel**

**Kiliae Holsatorum, [1798?]**

**VD18 13382748**

Parasitus.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-8303**

sine offensione introductas; partim Grammatici aëvo mulieres constanter partes habuisse, quas personati histriones olim peragerent.

*Parasitus.*

Ultimum in gesticulatione locum Parasito adsignamus, sicut derisori veteres in imo lecto. Actorem parasitum gestus liberior, et qui pro mobilitate personae, quam indueret, in horas mutaretur, theatris commendasse videtur. Nunc enim idem fit *Gelasinus*, nunc *Plagipatida*, nunc edax et qui octo hominum munus facile fungatur<sup>88)</sup>; aliumque ex alio gestum vultumque capiendum sibi videt. Cibo distentum et obrutum mero Terentius Phormionem suum induxit, ubi interrogat<sup>89)</sup>:

Itane patris ais conspectum veritum hinc abiisse? Get.  
Admodum.

Phormio. Phanium relictam solam? Get. Sic. Ph. Et iratum senem?

Get. Oppido.

si quidem vera narretur fabula de Terentio et Ambivio actore ebrio<sup>90)</sup>, qui acturus hanc fabulam, oscitans temulenter atque aurem minimo in scalpens digitulo, hos Terentio pronuntiavit versus; quibus auditis exclamaverit poeta, se talem, cum scriberet, cogitasse Parasitum, et ex indignatione, quod eum faturum potumque deprehenderat, delinitus statim sit. Haec labia lingvens ut ebrius et ructans utpote satur, actor quoque Grammatici aëvo pronuntiavit.

Caeterum personae tam festivae locos bene multos indulfisse poetam probabile est, in quibus supplendis gestu et differendis, actoris ut audacia et licentia, ita commendatio consisteret.

88) Menächm. I. 4.

89) Phorm. II. 2. init.

90) Donat. ad Phorm. I. c.

*De actione, quatenus praeparaverit Poeta.*

In consideranda corporis eloquentia veterum actorum, ejus curae laborisque non postrema ratio habenda est, quem componentes ad scenam fabulas Poetae adjuvando actionem gestumque praeparando susceperint. Hoc ejusmodi est, ut praeunte Comico, animique motus pro decore personarum in fabula riteque formante: histrionis, sensus personarum efferentis, interpretis actio non possit, quin animi motibus obediat. Proinde qui orationis genus in Terentio (ut hoc utamur) laudaverit facundiamque, in usu communi atque in hominum more et sermone versantem; colores porro, quibus Davum et Herum, Parasitum et Lenonem omnemque omnino personam tractavit atque distinxit, colores scilicet ad eum sensum compositos, ut rei subjectae magis consonos ne acerrimae quidem legentis phantasiae in animo effingere liceat: is igitur, qui haec, modo non temere sed subductis rationibus laudaverit; pronuntiationem simul, *ante laborando a Poeta praeparatam*, vultum quoque, habitum gestumque dicentis ea, quae legas atque animo affigentis, laudasse se sciat. Illarum quippe virtutum ea proprietas est, ea vis, ut natura sua impetum caloremque actioni impertiant, actoris studium accendant omnibusque motibus animi consentaneum vigorem corporis efficiant. Vigore brevitatemque, quae Romani sermonis proprietates sunt, id adsecutus Terentius est, ut in alternis sermonibus omnia ardere videantur, verbis in ipso dicente saepe gestum indicantibus vultumque, quo dicantur, atque pronuntiationis adjumenta oculos manusque acuentibus ac velut aculeis excitantibus. Videsne, ut confurgant voces Chaeraeae<sup>91)</sup>, furto suo gaudentis dudumque exoptantis, in cujus sinum gaudium suum effundat. Non solum

91) Eunuch, III. 5. init.

